

avar.
4003
II. (12)

4003(II)12

4

IN

N A T A L E M

ACADEMIAE REGIAE MONACENSIS

CARMEN

FREDERICI ROTHII EQUITIS.

e non colori, non simulantium

figurarum illecebrae brevi

Servire dignaris, sed omni

Res ope, nil nisi res capessis,

aque causas promissas et abditas

clara ponis origines,

emplumque munis a Gigantum

Viribus imperioque tutum



VERO — quod unum sustinet omnia,
Cogit, propagat, colligit, ordinat,
Vitale quod mundo videtur
Conditor ingenerasse semen;

Fas unde summum et regius est apex
Et regi amicum jus populi et fides,
Legumque majestas sacrarum et
Pax solidae genitrix quietis,

Non illius quae bella perhorruit
Periculoso debilis otio;
Quae castra praetendat, manus cui
Impavidae vigeant paratae —

Squallentis autem barbariae situm
Amare gentes candida dedoces,
Foedisque torpentes veternis
Erigis, insidiasque et agmen



0338229

Fallacium depellis imaginum et
Quae plena pravi somnia gaudi
Nunc blandiuntur, deinde pessum
Praecipites animos datura;

Colenda sancte, seu tibi quaeritur
Intelligendi quae via, qui gradus,
Quo notionum mille formae
Principio teneantur uno;

Vestigiis seu callida vividae
Naturae inhaeres, coeli iter arduum
Escendis, immensi laboris
Omniparentem animam celebras;

Seu saeculorum te seriem juvat
Mirumque fatorum exprimere ordinem,
Donare fas clarum coronis,
Mergere grande nefas Averno;



O diva, cujuscunque potens boni,
Salvere REGEM, qui tibi condidit
Hanc sedem et ornavit, jubeto
Cum Domina egregiaque prole,

Salvere dilectum juvenem tibi,
Spem gentis: at nos lampada traditam
Nutrire digne et da tueri
Fortiter aedituos fideles.

MONACI

V. Kal. Apr. MDCCCXXIII.

